



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117816

§. 58. Gensericus Catholicos persequitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

Sæculum V.
A.C. 455.

§. LVIII.

Genfericus Catholicos persequitur.

Illis annis multi Confessionis honorem, multi Palmam Martyrii adepti sunt. Quatuor Fratres Martinianus, Saturninus, & alii duo præter aliquam Virginem, eximie formosam, cui nomen Maxima, cujusdam Vandali mancipia erant. Martinianus, armorum faber, a Domino suo impense amabatur, Maxima rem domesticam curabat. Vandalus, ut servos sibi magis devinciret, ambos Matrimonii vinculo conjungere volebat. Id quidem Martiniano erat gratissimum, sed Maxima, jam Deo consecrata, cum in cubiculum fuissent deducti, Martiniano persuasit, ut continentiam servandi propositum caperet. Is, fratribus in consilii societatem pertractis, cum ipsis & Maxima, nocturnis tenebris usus, Tabracam fugit, ubi quatuor fratres Monasterium, cui Abbas, Andreas nomine, præerat, ingressi sunt. Maxima in Monasterium Virginum, haud procul distitum, suscepta est. Vandalus nulli labori parcens, fugitivos tandem invenit; comprehensos vinculis onerat, & variis cruciatibus torquet, imperatque, ut Martinianus, & Maxima non solum conjugali licentia viverent, sed etiam, ut rebaptizarentur.

Re ad Genfericum delata, Domino mandavit, ut servos tamdiu torqueret, usque

usque dum obedientes sibi haberet. Is ^{Sæculum V.} ergo reos validis baculis, in ferram den- ^{A.C. 455.} tatis, veberari jubet, ita ut totum corpus cruore perfunderetur, & per laceras costas viscera conspicerentur. Nihilominus die altera sanati inveniebantur, quod sæpius factum. Tum in tetrum carcerem detruduntur, iisque compedes injiciuntur, quæ, nulla vi externa adhibita, disruptæ sunt, inspectante magno Fidelium numero, qui Martyres invisebant. Id omnes miraculo factum credidere. Vindictis Dei manus totam Vandali familiam corripuit. Ipse, & liberi ejus, & fervorum optimi, mortui sunt, pecus quoque inopina clade occubuit. Superstes vidua famulos Dei cuidam Regis Propinquo, cui Nomen Serfaon, donavit; illico filii ejus, & familiares a Dæmone vexati. Cum is domesticam calamitatem ad Regem retulisset, jussit, ut quatuor fratres, ligati ad Regem Maurorum, Gentilem, cui Nomen Capsur, mitterentur. Maximam dimisit liberam, quæ triginta post hæc annos, multis Virginibus præfecta, inter vivos agebat.

Ubi SS. Confessores in illud desertum, in quo ille Maurorum Princeps habitabat, pervenere, conspectis plurimis Idololatrarum Sacrificiis, cœperunt, tam verbis, quam vitæ instituto, Barbaros ad Cognitionem Dei deducere, & magnam eorum
multi-

Sæculum V. multitudinem converterunt, in Regione, que
A.C. 455. ad quam Jesu Christi Nomen necdum
 pervaserat. Collatis consiliis, quid facto
 opus esset, ut ibi Evangelium prædicare-
 tur, & Sacramentum Baptismi administra-
 retur, miserunt nuncios, qui superata ere-
 mo ad Romanorum Civitatem, nempe
 intra Imperii fines positam, emerferunt.
 Rogatus loci Episcopus, ut Presbyteros,
 & Ministros ad populum nuper conver-
 sum mitteret, magno lætitiæ sensu, quod
 petebatur, fecit. Ædificata est Ecclesia,
 & plurimi ex Barbaris baptizati; quod
 ubi, Auctore Capsur, ad Genserici aures
 perlatum, Servorum Dei pedes posteriori
 parti quadrigarum jungi imperavit; ita-
 que per Sylvas, & sentes decurrentibus
 equis Martyrum corpora frustillatim dis-
 cerpta. Lamentabantur Mauri, Martyres
 autem in transitu se mutuo conspicientes,
 dicebant: *Frater mi! Deum pro me ora!*
dedit Deus, quod nobis erat votorum
summa. Ita ad Regnum Cælorum per-
venitur. Ad horum Martyrum Sepul-
 chrum magna miracula edita sunt.

§. LIX.

Persecutio durat.

c. 12. **H**is Gensericus, in Catholicos multo
 magis accensus, in Provinciam Zeu-
 gitanam misit quemdam, Nomine Procu-
 lum, qui omnes Episcopos vasa sacra, li-
 bros-